



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

199 Clementinæ vnicæderer. perm. verba no[n] esse captanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

Zabarella Cardinalis in Clementinam vnic. de rer. permut. quæst. 16. nu. 20. post alios antiquiores postque Senensem d. tractat. de permut. quæst. 28. in fin. variè tamen hoc subdistinguentè quod indistinctè reor esse statuedum quâdocumque res est dubia, veluti quando nescitur an optandi consuetudo locum habeat in beneficiis ex causa permutationis vacantibus, an non: quandoquidem plus tribui debet expresso iuri de permutationibus ad exitum deducendis d. Clement. vnic. de rer. permut. quàm tribuendum sit cõsuetudinis interpretationi dubiæ, de optando scilicet in præiudicium & ad exclusionem Expectantiũ istorum Pontificiorum de quibus quidem solis illud capit. vlt. §. de Consuetudine loquitur. Certè d. Clementina vnic. de rer. permutat. nō solūm prohibet beneficia ex causa permutationis resignata conferri aliis quàm permutantibus, verumetiam vult in effectu vt ea conferantur solis permutantibus, cuius cõtrarium fieret si beneficia sic resignata quocumq; modo cederent istis optantibus. Quod meum dictum eõ pertinet vt obstruatur os optantibus qui sophismate quodam nixi dicere fortè possent se beneficia sic vacantia non in vim collationis consequi sed ipso consuetudinis iure, ideoque se d. Constitutioni Clementinæ non contrauenire; quasi quid interesset, scilicet, an de Collatione quæreretur an de quavis alia beneficiorum adipiscendorum ratione consueta, nec enim verba sunt vnquam captanda. nempe

sicut

199

*Clementina
unica de rer.
permut. ver-
ba non esse
captanda.*

sicuti collatio aliis quàm permutantibus facta, per d. Clementinam est nulla, sic & alia quæcumque prouisio aliis quàm permutantibus facta debet esse reputariq; nulla. Non obstante ergo sophismate modo memorato, sententiam nostram superiorem iudicamus non æquioram tantum sed & iuri conformiorem seu de iure veriorem. Tertia quæstio de beneficiis erat vnitis; in quibus procul dubio sententia communis erit verissima si resignantes ex causa permutationis non ignorauerint vnionem, cum talia beneficia non magis in permutationem venire possint quàm beneficia reseruata. Clement. vnic. vers. Quidam etiam. de excess. prælat. coniuncta declaratione quadam d. extrauagantis Execrabilis. per Senensem commemorata d. tract. de permut. quæst. 29. Nam alioquin vnio semper ac in perpetuum per huiusmodi permutationes posset eludi, quod ferendum non est vt ibidem Senensis existimat. Ego tamen id in dubium non sine causa reuoco: nam quâumlibet impediatur permutatio beneficij nominatim & expressè vniti, quidnam quæso iustæ tandem causæ poterit adferri cur suis excidant beneficiis ita permutantes, ac non potius ea retineant? quid obsecro magno opere peccarunt? Loquimur hic nempe de casu quo beneficiorum permutandorum collatio pertinet non ad Pontificem sed ad Ordinarium, coram quo permutantes resignationem faciunt ex causa permutationis & non aliter: qua permutatione non sortiēte effectum, seu

209
Vnio permuta-
tionem ab
impediat vs
Reservatio.